



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Quæst. I. De præcedentibus citationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



Exceptionibus. Exceptio Prioris restringenda erat ad casum, quo Actor assensum præbet alienationi rei litigiosæ, pro aliâ ejusdem pretii: cum enim contendat illam esse suam, jure conqueritur, si Reus illam sine consensu suo alienaverit; quippè, quæ sibi fortè magis placeat, quam res subroganda. *Reg. 27. in 6.* in sensu contrario accepta hanc considerationem confirmat: *scienti & consentienti non fit injuria sive dolus.* Indè partim nata est Regula, *ne lite pendente quid immovetur.*

*Secunda Regula* pertinet ad Sequestrationem rei litigiosæ; de quâ dicitur, eam non habere locum, nisi in casibus in Jure expressis: duorum qui referuntur; nempe, dissipationis & appellationis executionem suspendentis; prior limitatur, posterior minimè: restrictio est in favorem Possessoris Triennalis in Quæstione de Beneficio. Hic probatur id, quod diximus, Replicationem sub Regulâ reponere, vel Exceptionem Exceptioni generali imponere.

Agendum erat de missione in Possessionem ad custodiam rei litigiosæ, quæ est Depositi species, ad ejus conservationem inventa, ut Sequestratio, à quâ non differt, nisi quia hæc fit in manu tertiâ, illa verò datur uni è Litigantibus. Non refert missionem hanc esse Actum Judicium: ejusdem conditionis est Sequestratio. Nec etiam refert, missionem hanc esse penam contumaciæ Judiciariæ; nam Sequestratio est etiam pena dissipationis fructuum & fundi lite pendente.

#### OBSERVATIONES in CAP. VI. de CITATIONE & CONSEQUENTIIS ipsius.

Autor absolutâ disputatione de Personis, quæ Judicium constituunt, & de Re litigiosâ, transit ad Actus Judicarios, monetque nonnullos præcedere Contestationem Causæ, nempe, Citationem, Contumaciam, sive Absentiam Rei, Libelli Oblationem, Dilationes, Exceptiones Dilatorias, & Reconventionem. Tum de Citatione loquitur, circa quam discutit ejus præcedentia; modum eam significandi; effectus ejus, seu consecutaria; ubi de Edicto peremptorio disserit, & Quæstionem in Regulas, Exceptiones & Replicationes distribuit.

#### QUÆSTIO I. de Præcedentibus CITATIONEM.

Quod dicit *n. 1.* exolevit post abrogationem Servitutis. Libertus egebat licentiâ Judicis, ad revocandum in Jus Patronum, aut Patronam, ejus Parentes, aut Liberos. *Exceptio Prima* inepta est; nam qui Litteris Principis libertatem consequeretur, eam non debebat Domino pristino; proindè ratio hujus veniæ eum non comprehendit. Idem est de *Secunda*, nam Libertus Collegii, non est Libertus privatorum, ex quibus Collegium coalescebat. Quod dicit *n. 2.* pertinet ad Citationis adjuncta, aut Citationem ipsam, sive ipsius formam.

#### QUÆST. II. de modo Citationis faciendæ.

Hic locus erat Edicti peremptorii, quod est *Citatio* tenens locum trium vulgarium, & quâ Citato tantum temporis datur, quantum tribus vulgaribus. Citatio significari debebat Personæ, si præsens erat, vel ejus Domicilio; aut Ecclesiæ, cum absens erat. Hæ circumstantiæ omittuntur ab Autore.

#### QUÆST. III. de Effectibus, & de Edicto peremptorio.

Quæstio hæc, qui inferitur Edictum peremptorium, paululum implicata est: eam perspicuè tractare potuisset, omnia reducendo, 1. Ad absentiam involuntariam, qualis est absentia Rei, quem legitimum

Impedimentum sive Morbus, aut Captivitas, aut Pestis distinet &c.

2. Ad absentiam voluntariam, quæ fit vel cum justâ causâ; qualis est incompetencia Judicis, aut distantia major, quam legitima; vel Locus ob Bellum, aut Pestem, aut incursionem Barbaricam, seu Latrocinia, aut inundationem, non securus; vel Dies indebitus, aut prohibitus.

3. Ad absentiam justâ causâ destitutam, quæ Contumacia propriè dicitur, & talis est, quociens Citatio valida est, & citatus nullo impedimento legitimo distentus, aut excusatione fretus non comparet.

4. Ad pœnas Contumaciæ, nempe hinc missionem Actoris in Possessionem, vel Excommunicationem Rei, si hic contumax sit; indè absolutionem Rei, si Actor sit contumax.

5. Ad Effectus Citationis legitimæ: quâ Jurisdictio prorogatur, seu conservatur; itâ, ut si Citatus in alium locum se conferat, Jurisdictioni Citantis, obnoxius semper maneat, & comparere teneatur statim, ac poterit, & proindè si legitime impeditus fuerit, statim atque impedimentum sublatum fuerit.

6. Ad Personas, quibus non licet alias vocare in Jus, & eas, quæ vocari non possunt; de nonnullis utriusque generis dictum est in QUÆST. IV.

#### OBSERVATIONES in CAP. VII. de LIBELLI OBLATIONE, & de EDITIONE INSTRUMENTORUM.

Tres priores Regulæ *Primæ Partis* ad unicam contrahi potuissent, quâ diceretur, Libellum in Scriptis fieri debere: non requiri hodiè, ut nomen Actionis in eo exprimeretur; sed Factum ita exponendum esse, ut noscatur quam illa sit, & ipsius causa.

4. Est illarum Consecutio; nam cum omne Jus Actoris ex ejus Actione pendeat, sequitur, absolvendum esse Reum, si illa non sit congrua.

Quod dicit in *Secunda Parte*, Reum non teneri ad edendum Actori Instrumenta sua, nisi agatur de Instrumentis utriusque communibus, & hoc in Casu sufficere, ut edat illa, quæ ad litem spectant, ad *Caput XIII.* pertinet, in quo de probatione per Instrumenta disseritur.

#### OBSERVATIONES in CAP. VIII. de DILATIONIBUS.

Exordiri debuisset Autor à distinctione duplicis generis Dilationum. Aliæ sunt à *Jure*, & quoniam à *Judice* non pendent, Causæ cognitionem non requirunt: earum duratio in Jure determinatur, nec non casus, in quibus locum habent.

Aliæ sunt *ab Homine*, & harum concessio pertinet ad Judicem, qui durationem ipsarum præfigere debet, habitâ ratione Circumstantiarum, causæ, Personarum, & Loci. Cum casus, in quibus Dilationes à Jure dantur, earumque duratio præscribitur, paucissimi sint, vulgò dicitur, Dilationes esse arbitrarías, non quòd eas ad libitum dare possit, sed eæ pendent ex ejus voluntate per Regulas Juris temperatâ: horum casuum magna est copia, & tot sunt, quot sunt Actus Judicarii, in quorum singulis Litigantes indigere possunt Dilatione. Illi numerantur apud GONZALEM in *Cap. 4. de Dilation.*

Dilationes nec breviores, nec diuturniores esse debent: hæ nocent Actori, cujus petitionis effectus tardatur; illæ Reo, qui tempore ad parandas defensiones indiget. Idcirco longiores dandæ sunt Reo, quam Actori, qui litem meditatus, eam inchoare non debuit, nisi post adeptas Actionis probationes.

Quamvis, juxta consilium Autoris supra expositum, hic loqui debuisset tantum de Dilationibus, quæ contestatione militis præcedunt, de cæteris tamen disserit, & cum his permiscet, sicut alia multa in his Notis observata, quæ eò magis necessariæ videntur, quòd